

No. 169. 1391. 29. Mai.

Probst Nicolaus und der Convent verpflichten sich zur Abhaltung von Jahrgedächtnissen, zu welchen Udalrich genannt Jessak Bürger zu Eilenburg 1 Schock Groschen in dem von Markgraf Wilhelm geeigneten Dorfe Kleinpössna überwiesen hat.

Nos Nicolaus dei gratia praepositus, Johannes prior totusque conventus canonicorum regularium ordinis sancti Augustini monasterii sancti Thomae apostoli in Lipezk publice recognoscimus et ad universorum tam praesentium quam futurorum notitiam deducentes, quod matura et sufficienti deliberatione praehabita-accedentibus ad hoc consensu et voluntate quorum consensus fuerat requirendus de dotatione-ac donatione illustris principis et domini domini Wilhelmi marchionis Misnensis, quam ex speciali gratia titulo proprietatis ac pleno iure in villa dicta Parva Peysna^{a)} nostro monasterio nobis ac nostris successoribus gratiose contulit, unam sexagenam annuorum reddituum ratione testamenti per providum virum Vdalricum dictum Jessak opidanum in Yleborg nobis ob salutem et remedium animae suae suorumque progenitorum delegati perpetuis tollendam temporibus totaliter ad nostri ordinis conventum duximus ordinandum, quod prior nostri conventus et monasterii dictam sexagenam singulis annis de redditibus memoratis tollere debeat ministrando et distribuendo iuxta formam ac seriem subnotatas. Postquam enim dictus Vdalricus secundum divinae voluntatis permissionem diem suum clauscrit extremum, VI^o Idus Novembris eius memoria suorumque ut diximus progenitorum scilicet Vdalrici et Elizabeth parentum eius, Nicolai et Johannis filiorum eius, Juttae et Agnetae uxorum eius, Johannis et Susannae parentum uxoris eius, quos in nostras orationes ab ipso fideliter suscepimus commendatas, vigiliis ac missis per congregationem nostri monasterii solempniter peragatur, et prior qui tunc temporis fuerit conventualibus praesentibus in prandio XV grossis singulis annis serviet ministrando refectioes et fercula modo et forma melioribus quibus poterit secundum dictae pecuniae quantitatem. Insuper vero VI^o Kalend. Maii eadem memoria simili modo et forma praehabita hilariter et integre servetur per iam dictum priorem et conventum prout studiosius ab ipsis fieri potest. Dimidiam vero sexagenam residuam prior et conventus in communitatem melius dispensent sicut eis videbitur oportunum, praedictis tamen ordinationibus integris manentibus ac illaesis. Et ut haec praesens ordinatio a nobis nostrisque successoribus perpetuis et inviolabiliter observetur temporibus, damus eidem Vdalrico suisque heredibus hanc nostram patentem litteram nostrae praepositurae et conventus sigillis ex certa nostra scientia sigillatam in robur et testimonium sufficiens omnium praemissorum sub anno domini M^o CCC^o nonagesimo primo feria secunda infra octavas corporis Christi.

Nach dem Registr. copiarum fol. 68^b im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

a) Kleinpössna, Par. Seifertshain